quas hic inuenit bene notas habuerit. Utile propterea uisum
est paruitati meȩ. ut omnes numeros similes in uolumine
de omnibus diuinis scripturis conferam. ut quotiens
unum uel duo uel tria. uel ceteri numeri in scripturis
habeantur simul ponam. adiunctis capitulis sicut in priori
opere sunt descripta. atque ut lectoris fastidio consulam plenas
omnibus numeris sententias ~~[illegible]~~ non ascribo. sed tantum
primam litteram uel sillabam cum capitulis in latere
colloco. numerum tantum de quo est mentio summa-
tim affigens. quatinus ex collatione similium numero-
rum unus facilius intelligatur per alium. et hoc opus
usque ad centum quinquaginta tres ~~perducam~~. adiuncto
uidelicet psalmorum ordine et numero perducam.
nam deinceps continuationem numerorum non in-
uenio. sed quanto magis proprię potuero ipsos qui
secuntur ordine suo describam. Si ergo ~~[illegible]~~ scire
uolueris qui numeri et quotiens ~~[illegible]~~ in quibus libris
inueniantur. numerorum congeriem qui in capite
cum uerborum principijs ascripti sunt intuere. si scire
libet in quo loco hystoriarum idem ~~[illegible]~~ numeri
ex integro contineantur. textum qui sequitur in
ordine librorum considera. si etiam nosse cupis
qui numeri omnino in scripturis non inueniantur
uel qui tantum semel uel qui sepius in eadem
uel in diuersa significatione ibi contineantur